QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XII. NOVEMBRIS,

M. PETRO LEGIER Doctore Medico, moderatore.

An, in febribus, Alterantia frequenti phlebotomiæ præferenda? 844.

FEBRIS morborum communissimus, idémque homini maximè familiaris, primùm accenditur in corde, mox per vniuersum corpus diffunditur, nulli magnitudine aut periculo inferior, validissimum corporis membrum obsidens, qua sine mori neminem rarò contigit, licet nonnumquam à periculosissimis morbis vindicet. At cum varium sit illud quòd in corpore feruorem concipit, non est vniusmodi febris ratio: Quæ tenui dissipabilísque substantia sustinetur, vnico die longiùs non excurrit, in qua verè spiritus accenduntur, interdum putrent, neque pestilentem febrem committunt, in hac nihil penitus sanguis corrumpitur, vt neque in ea quæ solidas corporis partes occupat, hectica febris, quandóque per se mox nata, nonnumquam febri ardenti succedens, si fortè diu protrahatur, nec illius feruor, vllis refrigerantibus arceatur, per se contumax, nedum ægrè ac vix sanescens.

IN humoribus febrium gens altera constituitur varietate pene infinita, assiduitate periculosa, accessu & recessu mirabilis, pabulum illi præbet humor putrescens, qui in maioribus vasis si continenter vaporibus cor afficiat, continuam efficit, illam quidem mitiorem, grauiorem pro succorum varietate: nempe putredinis vitio labefactatus sanguis, in congenitos humores facilè degenerat, accendítq; febres continuas, quæ intermittentium more, modóq; exacerbantur; tùm etiam synochum putrem, causum haustu agonistico curandum, nisi sordeant viscera. Porrò putridus humor promiscuè cum sanguine puro confunditur in venis, vt difficilis sit, & soli naturæ nota per crises vtriusque secretio, nec cuiusuis artificis in puro sistere vacuationem, emanat sanguis vniuersus, qualis in venis continetur; quisquis secto loco propior, deinde qui illi vicinus est, è venis, arteriis, verùm etiam visceribus educitur, vt patente viâ omnis plerumque cum anima excedat.

QVÆ putredo à corde semotior tetra anathymiasi, vitæ arcem assiduò non attingit, fit febris intermittentis parens, fomite, tum fomitis loco, à continua discrepat, variam quoque febrium speciem profert, prout in cauis hepatis bilis, liene aut ventriculo humor melancholicus & pituitosus putredine flammam conceperint; nec aliunde circuituum repetenda dispar ratio, dum occultantur modò, modò aperiuntur, tum recedunt aliàs antecedunt. Neq; tamen sunt innoxiæ, licet aliquando sanguis immoderatè profluat, cum ille nec solatio, nec remedio esse possit: humor efferus sanguinis benignitate minimè dilutus, acriùs excandescit febremque adauget, vt quæuis intermittens carere debeat frequenti sanguinis detractione, ne partium fœda illuuie in maiores venas abreptâ, vasa sordescant.

FEBRIVM curationem sanguinis missione perfici, nouum non est; at febrem penè nullam esse, in qua eximendi sanguinis nullum finem, nisi caloris extinctio faciat, nouum & periculosum: Nostri namque voluptas corporis & naturæ deliciæ sanguis, ad robur animalis eiusdemque tutelam confert plurimùm; hinc non solùm in febribus, sed & in sanis, venas eodem anno sepiùs incidere accommodatum non est, quod cum multo sanguine naturalis calor, vitalis spiritus plurimus effunditur, proinde rectène plethora tibiarum scarificatu, velut vicario venæ sectionis, sine molestia ac citra validam corporis commotionem soluenda est? Pueris, senibus, prægnantibus, sanguinem incisâ venâ crebrò detrahere, non satis tutum: quouis morbi tempore ipsoque die critico nefas: viuifico nectare fraudata natura, priuatur quidlibet moliendi potestate, vt nullam excretionem bonis ægri rebus valeat suscipere. Omninò vbertim eductus sanguis, cor exhaustum, vnde minimè decuit, ad deditionem cogit, quos non perimit, videndi priuat acumine, sterilitatem affert, corpusque paupertate spiritus & caloris effœtum, immaturæ tradit senectuti.

LONGE securior est vsus remediorum, quorum vbertatem vegetantium sylua suppeditat, in ijs etsi vilissima & vulgò notissima sint, tamen medicinæ dignitas elucet; vt quæ gemina & aduersa qualitate cum febre pugnent, refrigerii plurimum iecori, cordi æstu febrili accenso, comparent, calorem & spiritum quem natura habet vnicè charum, præcipuè foueant, vt ea quæ corpus nostrum regit facultas, morbi materiam facilè queat excludere. Anceps remedium plerumque citra indicationem vsurpatur sanguinis missio, atque etiam dubia & nulla spe salutis, Vbi direptæ sunt naturæ opes ac prope collapsa vitæ principia, sine quibus vis nulla præsidiorum consistit, frustra expectes vt Erus reuiuiscat. Ecce frequentis & pene assiduæ venæ sectionis noxa multi lugent, plures iniqua viuendi conditione quasi absumpto viuacitatis fonte languescunt, anhelitu, hydrope, hepatis aut ventriculi imbecillitate laborant, vnde facilis lapsus in exitiales morbos arthritidem, paralysim, apoplexiam. Quæ verò duplici contemperandi facultate pollent, vt tutiora sic frequentius & liberalius vsurpanda. In febribus alterantium administratio, nunquam intempestiua, nequaquam molesta, ea dum probam temperiem conciliant, maiori robore morbum oppugnant & melioribus viribus ægrotantem reddunt sanitati.

Ergo in febribus, alterantia frequenti phlebotomiæ præferenda.

291.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS GAVOIS Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Langlois.	*M. Victor Pallu.*	*M. Gabriel Biart.*
M. Claudius Chrestien.	*M. Georgius Ioudouyn.*	*M. Ioannes Degorris Med. Reg.*
M. Gilbertus Puylon.	*M. Hugo Chasles.*	*M. Renatus Chartier Med. & Prof. Reg.*